

93

1928 K 944

16, 11 1947

AD

SOLEMNIA PENTECOSTALIA

A. C. MDCCCLXXXIV

IN ACADEMIA WITTEBERGENSI

RELIGIOSE CONCELEBRANDA

NOMINE PUBLICO

INVITAT

ORDINIS THEOLOGORVM DECANVS

ET SENIOR

D. CAROLVS CHRISTIANVS TITTMANNVS.

DE INHABITATIONE SPIRITVS SANCTI.

1784



AD
SOLEMNIA PENTECOSTALIA

A. C. MDCCCLXXIV

IN ACADEMIA WITTEBERGENSI

RELIGIOSO CONCILIBRANDO

NOMINE PABLICO

INVITAT

ORDINIS THEOLOGORUM DECANUS

ET SENIOR

D. CAROLVS CHRISTIANVS TITMANNVS

DE INAUGURATIONE SUIRITVS SINGULI





DE
INHABITATIONE SPIRITVS

SANCTI



n enarrandis explicandisque beneficiis sancti Spiritus ad homines edocendos, emendandos, tranquillandos, beandos, vti sunt scriptores diuini mirifica varietate et copia vocum dicendique formularum, maximam partem, pro illorum temporum more et consuetudine loquendi, tropicarum et figuratarum; quas tamen, vt fit, parum bene olim explicauit interpretum multorum praua fedulitas aut inscitia, haerensque in proprietate vocabulorum, attulit doctrinae sacrae obscuritatis confusionisque quam plurimum, in primis haecenus, dum, quae generis amplitudinem complecterentur, ad partis tenuitatem redigeret. Ac profecto difficultas est non parua, eiusmodi vocabula sine troporum et figurarum vmbri et ad recte intelligendum perspicue, et ad animos fide, pietate, admiratione et solatio imbuendos efficaciter explicandi. Atque huc referri videtur haud dubie posse caput de *inhabitatione Spiritus sancti*; de quo disserere nonnulla primum dogmaticae, ac deinde exegeticae, per huius temporis opportunitatem constituimus, in primis quoniam ante



annos aliquot dicere coepimus de vocabulis oeconomiae salutis, ad quae et illud pertinet.

Etenim in libris sacris occurrunt aliquoties formulae, in quibus Deus, nominatimque Spiritus sanctus dicitur *inhabitare animos fidelium*; itemque, *immitti eorum animis, venire ad eos, apud illos manere*, et quae sunt reliquae. Sed hic primum dissentiunt Theologi ecclesiae nostrae, vtrum eiusmodi formulae complexum beneficiorum sanctissimi illius Spiritus, an vero peculiarem aliquam eorum speciem expriment. Nonnulli enim, qui haud dubie recte sentiunt, intelligi putant vniuersam *ἐνεργεσιαν* Spiritus sancti ad homines corrigendos, eiusque effecta; alii vero, iique Theologi proxime superioris aetatis, inhabitationem ab vniuersa illa *ἐνεργεσιᾷ* distinguere coeperunt, ac de peculiari sancti Spiritus beneficio explicare, in loco nimirum de iustificatione, tanquam eius effectum; vnde quoque caput singulare fecerunt *de inhabitatione Spiritus sancti, siue: de gratia Spiritus sancti inhabitante*.

Atque haec fuit causa, quare deinde quoque in explicanda notione inhabitationis dissentirent. Nam antiquiores quidem Theologi, veluti LUTHERVS, MELANTHON, CHEMNITIVS, inhabitationem docebant esse in duabus rebus, nimirum in *praesentia et operatione*, siue in *praesentia gratiosa*, vt loquebantur, ita tamen, vt illam praesentiam putarent esse non speciei, sed generis. Ac MELANTHON quidem in *Comment. in Ep. ad Col. 11, 9. Tom. IV. Opp. p. 345.* distinguere coepit diuersos modos praesentiae diuinae, atque primum dicebat esse *praesentiam vniuersalem*, (vtemur verbis eius,) *quoad conseruationem substantiarum, quae sic adest Deus omnibus creaturis bonis et malis, vt conseruet earum substantias: alterum specialem, qua Deus est in beatis ita, vt non tantum seruet substantias, sed sese iis communicet, complens eos sua luce et iustitia, et viuificans eos vita aeterna et immediate conspicitur ab iis, (quam gloriosam praesentiam dixerunt nonnulli); tertium itidem specialem, (quam gratiosam appellarunt,) qua est in sanctis in hac vita, vt in Davide, qua praesentia*

tia non tantum seruat Deus eorum substantias, sed etiam efficit in iis u-
nam lucem et motus sibi placentes, et non conspicitur immediate, ut in vita
aeterna, sed per verbum; quartum denique unionem personalem; quam
 distinctionem repetierunt plerique omnes Theologi, veluti GER-
 HARDVS *Locc. Tom. III. p. 137.* editionis nuperrimae. CHE-
 MNITIVS autem *Locc. Part. I. p. 104.* commemoravit sententiam
 LVTHERI in *Pf. LI. vbi: habitat, inquit, Spiritus in credentibus non*
tantum per dona, sed et quoad substantiam suam; neque enim sic dat dona
sua, ut ipse alibi sit aut dormiat, sed adest donis et creaturae suae, conser-
uando, gubernando, addendo robur; quam sententiam et ipse te-
nuuit, tenueruntque reliqui auctores Formulae Concordiae, Re-
petit. et Declar. Art. III. p. 698. ed. Rechenb. vbi damnarunt eos, qui
docerent, non ipsum Deum, sed tantum dona in credentibus habitare.
 Sed quando non nudam operationem, verum etiam praesentiam
 ipsius naturae diuinae intelligendam esse defendebant; id fecerunt
 propterea, quoniam erant, qui hanc negarent et solam efficien-
 tiam intelligerent, atque in vniuersum de omnipraesentia diuina
 non recte statuerent; volueruntque dicere hoc: intelligendam
 esse operationem non absentis Dei, sed per naturam suam iam diu
 ante et vbique praesentis. Atque id perspicue intelligi potest ex
 toto loco CHEMNITII, vbi disputat aduersus eos, qui confunde-
 bant Spiritum sanctum et eius dona, et quaerit, num Spiritus
 sanctus, auctor illorum donorum, absens vel praesens efficax sit,
 ac veram et simplicem sententiam dicit esse hanc: *dari credentibus*
ipsum Spiritum sanctum una cum suis donis, quae operatur non absens, sed
praesens existens in cordibus credentium. Igitur antiquos Theologos,
 in promptu est, per inhabitationem Spiritus sancti intellexisse id,
 quod diximus, nimirum praesentiam et efficientiam simul. Prae-
 sentiam autem intelligebant vnicuique generi communem, atque
 in modis praesentiae, supra commemoratis, saltem tribus priori-
 bus, diuersitatem statuerunt non naturae seu graduum, sed effe-
 ctorum; naturam enim praesentiae in omnibus generibus ean-
 dem

dem esse putabant, modo effecta diuersa; in quo haud dubie recte senserunt.

Verum proxime superioris saeculi Theologi quidam praesentiam illam putarunt latius patere, eamque accuratius explicare atque a generali in altero et tertio quoque genere discernere tentarunt; nam id factum esse recentiori demum tempore, et proxime superiori aetate, satis luculenter ostendit MVSÆVS *ausführliche Erklärung* p. 606 *sqq.* Existimabant nimirum, diuersitatem praesentiae non modo esse effectorum, verum etiam propinquitatis, atque adeo inhabitationem Spiritus sancti esse non tantum in operatione et praesentia generali, qua per naturam suam praesens est omnibus rebus creatis, sed etiam, atque in primis, in *praesentia speciali*, hoc est, in *propinquiori accessione ad homines*, per quam Spiritus sanctus pio homini fiat propior, quam est homini impio et aliis rebus creatis; quamque nouo vocabulo dixerunt *approximationem substantiae diuinae ad substantiam hominis*. Ab eo tempore disputari coeptum est, num natura diuina per inhabitationem, siue, vnionem spirituales, quam dicebant, vocabulo, de Mysticorum lacunis desumpto, homini pio fiat propior, quam eidem ante fuerit? Quod quidem acriter defenderunt nonnulli, haerentes in primis in proprietate vocabulorum, quando Spiritus sanctus dicitur *habitare et mansionem facere*, omninoque fieri posse, vt natura diuina rebus quibusdam fiat praesentior, illustrare voluerunt exemplis vnionis personalis in Christo et vnionis sacramentalis in sacra coena. Verum alii, iique docti et pii Theologi id probare nullo modo voluerunt. Nam quod primum ad vocabula ipsa attinet; ea vsurpata esse dicebant per *συγκατάβασις* atque intelligenda non de maiori propinquitate naturae diuinae, siue, vt loquuntur, de approximatione Dei secundum essentiam, sed de noua Dei, iam ante per naturam suam propinqui et praesentis, manifestatione per operationem aliquam; vid. MVSÆVS *l. c. p. 631. sqq.* Deinde exempla vnionis hypostaticae et sacramentalis

mentalis dicebant esse alius generis; quod si admitteremus in hac re, videndum esse, ne, quod Fanaticis accidit, *ὁμοθεωσι* hominum statueremus. Tum porro approximationem, quae dicitur, repugnare putarunt naturae infinitae, ubique et omnibus rebus praesentissimae; neque adeo missionem et inhabitationem sancti Spiritus intelligendam esse sic, tanquam esse incipiat secundum naturam suam; ubi ante non fuerit, sed de *novo modo* vel *effectu*, quocum *adesse* incipiat, licet secundum naturam suam iam ante ibi fuerit. Denique hanc sententiam vocarunt nouam et mirabilem, et ante GERHARDI tempora in ecclesia Lutherana inauditam et a nemine perspicue explicatam; neque enim facile Theologum aliquem eruditum ante illa tempora usurpasse formulas: *Deum venire et habitare in piis per peculiarem approximationem substantiae diuinae ad substantiam fidelium*. Sic diserte MUSAEVUS *l. c.* existimauit, laudauitque modestiam et auctoritatem GERHARDI, qui et ipse antiquiorem sententiam tenuit. Nam *Locc. T. I. Loc. 3. Cap. 15.* explicatis quatuor praesentiae diuinae modis, de quibus supra diximus, subiicit §. 119. haec: *obseruandum vero, omnes illos gradus praesentiae Dei non essentialiter, sed effectibus tantum discerni. Non enim alia Dei essentia in creaturis, alia in beatis hominibus et angelis, alia in renatis, nec diuina essentia ex parte creaturis, ex parte angelis, ex parte renatis praesens est; sed una eademque sua essentia tota et indiuisa Deus ubique praesens; discrimen multiplicis praesentiae in sola effectuum diuersitate consistit, ut multiplex illa praesentia nihil aliud sit, quam varia vnus eiusdemque omnipraesentis naturae operatio. Ergo quot sunt operationum diuinarum species, tot praesentiae Dei gradus constitui possunt; at multae sunt operationum species, ergo et multi praesentiae gradus: et quae sunt reliqua. Eandem sententiam repetiit in *Exeges. Loc. 2. c. 8. Sect. 8. §. 187. Tom. III. Locc. p. 135.* ubi: *in quorum cordibus, ait, per verbi auditum et sacramentorum usum Spiritus sanctus fidem accendit, in illis tota sacrosancta trinitas gloriose habitat et mansionem apud eos facit.* Et proxime sequente segmento commemorauit quidem*

quidem opinionem de speciali approximatione essentiae diuinæ, illo tempore ortam, neque tamen probavit, immo vero commendauit ad extremum duo loca CHRYSOSTOMI, quae et nostris commendemus; primum hunc: *Deum esse ubique, totumque esse in quavis parte orbis terrarum, noui; sed quemadmodum sit, nescio*; deinde illum: *quod ubique sit Deus, scimus et dicimus; quomodo autem ubique sit, intellectu non capimus*. Eodem modo mentem suam explicauit in *Harmon. Ev. P. III. c. 176. p. 596 sqq.*

Neque tamen negare voluerunt Theologi, nec etiamnum negant, praesentiam Dei gratiosam complecti coniunctionem arctiorem Dei et piorum, quam generalem et impiis communem; modo hanc coniunctionem putant esse non in maiori propinquitate naturae diuinæ, sed in maiori efficientia salutari, cum substantiali praesentia coniuncta, sic, vt in piis sit duplex efficientia, primum generalis, ad res huius vitae pertinens et omnibus hominibus et rebus communis, deinde vero etiam specialis et piis propria, spectans ad animi correctionem et salutem. Nimirum arctiorem illam coniunctionem dicunt esse in vinculis mutuis inter Deum et pios; Deus, natura sua hominibus piis praesens, in iis ita se efficacem praestat, vt in impiis, quamuis et ipsis praesens, se praestare non potest; in illis efficit fidem, sanctitatem, tranquillitatem, in his vero ista efficere non potest; illi duci se patiuntur a Deo, sequunturque praecepta diuina et exemplum Christi et ipsius Dei, hi vero praecepta et exempla prauitatis humanae; illi similes sunt Deo et Christo in sentiendo, volendo, agendo, sic, vt in iis sint iidem sensus, idem studium, eadem voluntas, quae erat in Christo, hi vero Christo sunt in his omnibus dissimillimi; illi Deum colunt et amant et vicissim a Deo amantur peculiari modo, hi vero Deum nec colunt, nec amant, nec ab eo amantur tali modo. Ac propter hanc Dei peculiarem in piis operationem mutuamque sensuum, consiliorum, factorum unitatem Deus piis et pii Deo iuncti esse, Deus in piis habitare et

prii a Deo inhabitari dicuntur; verum ab impiis, quoniam talis nec operatio, nec similitudo inter eos locum habet, Deus, et vicissim impii a Deo dicuntur seiuncti esse; et quamuis et iis praesens est Deus sua natura et operatione generali, tamen ea ne coniunctio quidem dicitur.

Sed videamus loca Scripturae de inhabitatione Spiritus sancti et vsu loquendi. Scilicet in explicanda hac re recurrendum est ad T. V. consuetudinem. Fuit enim hic mos Hebraeorum, vt dicerent, *Deum et Spiritum Dei habitare inter populum eum*, a quo peculiarem in modum coleretur, aut cui prae ceteris beneficeret, et inter quem vim suam benignitatemque manifestam redderet operibus illustrioribus potentiae et bonitatis, itemque, *Deum venturum esse aut venire*, quando peculiaria beneficia aut promitteret, aut tribueret, vicissim vero *Deum derelicturum esse populum aliquem et ab eo discedere et abire*, vbi iis, qui se indignos numine diuino gessissent, vim singularem et beneficia illustria denegaret, atque *habitationem Dei inter populum aliquem* dicerent effecta illustria potentiae, benignitatis et singularis curae diuinae ad salutem populi. Igitur *Deus habitat inter homines*, quibus adest peculiari modo, benignitate, potentia, auxilio suo, quos regit, protegit, tuetur potenter et benigne; breuiter, vbi Deus efficacem se praestat insigniter, ibi habitat. Hinc quando Deus dicebatur *habitare inter Israelitas*, itemque *in Iudaea*, aut *in urbe et templo Hierosolymitano tentorium sibi fixisse et aedem strui passus esse*, in qua habitaret, facile quisque videt ex hoc vsu loquendi, describi numen diuinum, ab Israelitis peculiari modo colendum, hisque cultoribus suis in primis benignum, potenter eos protegens et illustrissimis beneficiis ornans; id quod euidenter intelligi potest comparandis locis ipsis, in quibus eiusmodi formulae reperiuntur. Nam apud *Ezech. XXXVII, 27.* quando Deus dixit: *habito inter eos*, statim additum legitur hoc: *me vt Deum suum colent, et ego vicissim eos vt populum meum amabo*; plane vt in *Apoc. XXI, 3.*

B

item-

itemque in loco *Leu. XXVI, 11. 12.* qui laudatur ab Apostolo *2 Cor. VI, 16.* *habitabo inter vos, nec vos repudiabo; inter vos versabor; ero Deus vester et vos meus populus:* quae formulae omnes sibi aequipollent et indicant, Deum Israelitas populum suum sibi adsciuisse, inter quem se in primis efficacem praestaret, quemque vehementer amare et a quo similiter amari vellet; ac totus locus explicandus est ex descriptione, in V. T. dominante, Israelitis esse populum Dei. Ac speciatim formula: *אֲנִי יְהוָה אֱלֹהֵי יִשְׂרָאֵל*, expressa ab Alexandrinis interpretibus sic: *Θῆσω τὴν οἰκίαν μου ἐν ὑμῖν*, evidentissime respicit ad templum et tabernaculum, in quo Deus habitare dicebatur, quodque et ipsum vocabatur domicilium Dei. *Exod. XXV, 8. 2 Sam. VII, 5. 6. Ps. XXVI, 8.* Et quod ei synonymum positum est verbum *ἐμπεριπατεῖν*, in tali contextu alium significatum habere non potest, quam hunc: *vim suam exserere, efficacem se praebere.* Atque in loco *Ex. XXIX, 45*, non modo eadem verba reperiuntur: *habitabo inter Israelitas, eorumque Deus ero;* verum explicatur quoque in antecedentibus, qua ratione habitaturus sit inter Israelitas, nimirum sic, ut eos per praecepta sua regat et peculiari modo ab iis colatur. Igitur *Deus, habitans inter Israelitas*, est, qui ab iis colebatur eo modo, quo aliae gentes eum non colebant, qui eos regebat suis legibus, suisque beneficiis prae aliis ornabat; et *habitatio Dei apud Israelitas* est peculiaris eius aduersus eos beniuolentia, cura et beneficentia; nam et alias gentes amabat, regebat, tuebatur, sed hanc tamen peculiari modo. Nec praetermittendae sunt formulae: *venit Spiritus Iouae in eum;* et: *fuit Spiritus Iouae in ipso*, in V. T. admodum frequentes, quibus tamen indicatur nihil aliud, quam hoc: aliquem eximiis donis a Deo instrui et beneficiis excellentibus ornari; ut nuperrime docuit *Ven. DATHIVS ad Iud. III, 10. et I Sam. XVI, 13.*

Haec vero in N. T. translata sunt primum ad Apostolos, deinde ad Christianos vniuersos. Ac primum quoniam Spiritus sanctus

sanctus in Apostolis vim suam peculiari modo exerebat, sic, ut, quicquid docerent et facerent in munere suo, Spiritus sancti beneficio acceptum referrent, propter hanc causam sanctus Spiritus Apostolis datus esse ac diuinitus immissus, atque adeo in iis habitare dicebatur. Ita enim Paulus 2 *Tim.* 1, 14. hortatus est Timotheum, ut exsequeretur mandata in tradenda doctrina christiana, fretus ope Spiritus sancti, τὸ ἐνοικεῦντος ἐν ἡμῖν, auxilium nobis praestantis, dona quaeuis conferentis, vim suam per nos exferentis; nam hunc locum referendum esse ad Apostolos et primos ecclesiae doctores, iam antiquiores viderunt, veluti CYRILLVS HIEROSOLYMITANVS. Etenim Dominus noster Apostolis multis in locis, in primisque apud Io. in sermonibus vltimis, veluti *Cap.* XIV, 16. 17. (nam hos sermones maximam partem de Apostolis intelligendos et explicandos esse, recte vidit SEMLERVS, nuperque ostenderunt accurate NOESELLTVS et MORVS,) hunc suum Spiritum promiserat, qui apud eos maneret perpetuo, usque adesset; nam quod in priori versiculo dixerat simpliciter: ἵνα μὲν μεθ' ὑμῶν εἰς τὸν αἰῶνα, id sequente repetiit, adiecta interpretatione: παρ' ὑμῖν μένει καὶ ἐν ὑμῖν ἔσται. Igitur formulae: εἶναι ἐν αὐτοῖς et μένειν παρ' αὐτοῖς, idem declarant, nimirum hoc: adesse, opem ferre. Quomodo autem sanctus Spiritus Apostolis adfuerit opemque tulerit, explicatur versiculo 26 sic: ἐκεῖνος ὑμᾶς διδάξει πάντα, et, quod idem est, *Cap.* XVI, 13. hoc modo: ὁδηγήσει ὑμᾶς εἰς πάντα τὴν ἀλήθειαν· ὅτι γὰρ λαλήσει ἀφ' ἐαυτοῦ, ἀλλ' ὅσα ἂν ἀκούσῃ, λαλήσει, καὶ τὰ ἐρχόμενα ἀναγγελεῖ ὑμῖν· ἐκεῖνος ἐμὲ δοξάσει κ. λ. itemque v. 8. ἐλθὼν ἐκεῖνος, ἐλέγξει τὸν κόσμον περὶ ἁμαρτίας, reliqua; et *Cap.* XV, 26. ἐκεῖνος μαρτυρήσει περὶ ἐμοῦ. Igitur esse et manere apud Apostolos, siue, quod idem est et supra Paulus dixerat, inhabitare Apostolos, in his locis explicatur de vi et ενεργείᾳ Spiritus sancti in Apostolis ad religionem cognoscendam, tradendam, illustrandam et defendendam; et Spiritus, immissus Apostolis, est: donis extraordinariis ornans et efficacissimum

se praebens. Ac propter hanc causam Apostoli dicebantur *Φέρεσαι ὑπὸ πνεύματος ἁγίου*, 2 Petr. I, 21. Et formula: *Φέρεσαι ὑπὸ τῆς*, solennis quoque est scriptoribus graecis, veluti de afflatu Apollinis, et denotat: *vi diuina agi*, vt facias aut dicas, quod Deus velit.

Hinc vero et quoniam idem Spiritus inter Christianos et in Christianis, quamquam modo paululum diuerso, vim suam explicat ad scientiam rerum diuinarum, fidem, vniuersamque virtutem proferendam, augendam, firmandam, ea ratione, qua suam vim inter alienos a religione christiana explicare non potest, propterea *inter Christianos* quoque *habitare* dicitur. Nam in loco 1 Cor. III, 16. qui est in hac re classicus, sermo est non de Christianis singulis, quod ante omnia teneri debet, sed vniuersis, seu coetu Christianorum et ecclesia christiana; et *ἐν ἑμῶν* reddendum est non: *in vobis*, sed: *inter vos*, et locus explicandus sic: *inter Christianos sanctus Spiritus opus suum et veluti domicilium habet, vim suam ostendit*. Igitur habitatio Spiritus sancti inter Christianos de eius efficientia et beneficiis intelligenda est. Nam in eodem loco et propter eandem causam Christiani vocantur *ναὸς τοῦ Θεοῦ*, *aedificium, in quo Deus habitat*; plane vt in T. V. Deus dicebatur habere domicilium inter Israelitas; et in antecedentibus, nimirum *vers. 9.* appellantur *οἰκοδομή τοῦ Θεοῦ*, *aedificium a Deo exstructum et exornatum*, quod ab Apostolo ipso de ecclesia explicatum est, 1 Tim. III, 15. vnde et *οἰκεῖς τοῦ Θεοῦ* vocantur Eph. II, 19. *partes, seu, incolae domus Dei*, et *συμπολῖται τῶν ἁγίων*, *soctales ciuium regni diuini, socii Christianorum*, qui antea erant *ξένοι καὶ παράκοιτοι, χωρὶς Χριστοῦ*, et vt est *v. 12.* *ἀπὸ πλῆθους τῆς πολιτείας τοῦ Ἰσραὴλ, καὶ ξένοι τῶν διαθηκῶν τῆς ἐπαγγελίας, ἐλπίδα μὴ ἔχοντες, καὶ ἄθεοι, ἐν τῷ κόσμῳ, inter gentiles*, et *v. 21.* *ναὸς ἁγίος ἐν κυρίῳ, templum, Domino sacrum*; et *22. vers.* *κατοικητήριον τοῦ Θεοῦ ἐν πνεύματι, domicilium, Spiritui sacrum*; siue; *a Spiritu exstructum*; sed totus hic locus est legendus et conferendus. Igitur coetus Christianorum

vocantur

vocantur templum Dei et Spiritus sancti, partim, quia erant collecti a Spiritu sancto per Apostolos, partim atque in primis, quia inter Christianos Spiritus sanctus vim suam explicat; ita enim templum Dei intelligendum esse viderunt et recentiores interpretes, veluti GLASSIUS *Phil. S. Tom. I, p. 975.* ed. nuperr. et vero etiam antiquiores, veluti THEODORETUS, cuius verba sunt haec: ἐπιστημῆνασαι δὲ προσήκει, ὡς ναὸς Θεοῦ προσηγάγευσε τοὺς ἐνοικοῦντας τὴν τοῦ πνεύματος χάριν: tenendum autem est, *templa Dei appellari eos, qui experiuntur benignam vim Spiritus.* Denique in hoc loco notabile est, quod Paulus subiecit haec: εἴ τις τῶν ναῶν τοῦ Θεοῦ φθείρει, φθείρει τάντον ὁ Θεός· in quibus sermo est de doctoribus, qui doctrinae diuinae propagationem, cognitionem, fidem et sanctitatem impediunt peruerfis opinionibus, institutis, exemplis, et h. l. nominatim rixis et contentionibus; quod qui faciunt, destruunt templum Dei, h. e. peruertunt fidem et sanctitatem Christianorum, vt opus Spiritus sancti. Sed alio loco, nimirum *Cap. VI, 19.* etiam corpus vocatur ναὸς τοῦ ἐν ἡμῖν ἁγίου πνεύματος, *templum sancti Spiritus inter Christianos efficacia,* hactenus, quatenus liberum est a male factis, vicissim vero est instrumentum recte factorum, quae sunt opera sancti Spiritus. In epistola ad Romanos, eiusque *Cap. VIII.* saepius commemoratur πνεῦμα Θεοῦ et πνεῦμα Χριστοῦ, idque πνεῦμα dicitur διεῖν ἐν ἡμῖν, in primis *vers. 9.* et *11.* In quo tamen loco dissentiant interpretes, num intelligatur Spiritus sanctus, an vero, quod non improbable est, sensus, a Spiritu sancto excitatus. Sed quicquid sit, tamen ex hoc loco intelligi potest, quid sit inhabitare. Nam *vers. 11.* Deus dicitur ζωοποιεῖν τὰ θνητὰ σώματα, et quidem διὰ τοῦ ἐνοικοῦντος ἐν τῷ πνεύματος ἐν ἡμῖν, *vires largiri ad vitam sanctam* (hoc enim ibi est ζωοποιεῖν) *per Spiritum eum, qui se in nobis efficacem praestat;* deinde effecta Spiritus commemorantur, *vers. 5.* τὰ τοῦ πνεύματος, noua et praestantior vitae indoles, quae sic dicitur ab auctore; itemque *vers. 6.* Φρόνημα τοῦ πνεύματος. Denique inhabitationi Spiritus op-

ponitur *inhabitatio peccati*; Cap. VII, 17. *sqq.* sed *inhabitatio peccati* est *vis et potestas peccati, peccatum vim suam in homine exerens*. Ergo et *inhabitatio Spiritus* sic est intelligenda. Non praetermittere possumus locum, qui in primis hic commemorari solet, apud Io. XIV, 23. *πρὸς αὐτὸν ἐλευσόμεθα καὶ μονὴν παρὰ αὐτῷ ποιήσομεν, habitatum ad eum veniemus*. Hic locus si de ea re agit, de qua disputamus, exprimit nihil aliud, quam operationem beneuolam, siue, vt alii volunt, intimam animorum coniunctionem per amorum mutuum, hoc sensu: *talem hominem ego et pater maximis beneficiis ornabimus, et speciatim, ei nos patefaciemus, vers. 21. 22.* Sed potest etiam sensum habere hunc, quem ei SEMLERVS tribuit: *nos, i. e. ego, et qui me amat, veniemus olim in societatem patris et apud eum habitabimus*. Saltem hic sensus non abhorret ab reliqua dicendi consuetudine Domini nostri in his ipsis sermonibus, et in primis in initio capitis, *vers. 2. 3. et 6. vbi: in coelis, inquit, sunt habitacula multa, μοναὶ πολλαί. Alias qui tandem dicere potuerim, me propterea abire, vt vobis in coelo locum parem? Et postquam abiero, locumque parauero vobis, redibo et vos assumam ad me, vt sitis et vos, vbi ego ero*. Ad haec videtur respexisse Dominus, cum diceret: *veniemus habitatum ad patrem*. Atque si hunc sensum habet hic locus, tum plane huc non pertinet.

Sed comparabimus quoque similes formulas. Nam a Paulo Apostolo Rom. VIII, 14. pii dicuntur ἀγεδοὶ πνεύματι Θεῷ quae plane est *inhabitatio Spiritus diuini et eius explicatio*; nam *agi Spiritu*, idem est, quod: *a Spiritu inhabitari*; imodo hoc improprie, illud proprie dicitur. *Agī* autem exprimit efficientiam salutarem Spiritus sancti, de quo non potest dubitare, qui *vers. 5. 6. 7. et 13. comparauerit*; ergo *inhabitari* idem denotat. Deinde Pater in Christo, Christus in Apostolis et Apostoli in Christo dicuntur habitare et manere; Io. XIV, 10. 11. 20. XV, 4. Sed Pater habitabat in Christo per vim suam, vt Domi-
nus

nus ipse diferte explicat in loco priori: *ὁ ποιητῆς, ὃ ἐν ἐμοὶ μένων, ποιεῖ τὰ ἔργα.* Apostoli autem manebant in Christo, doctrina eius constanter et tenenda et tradenda; sic enim rursus Dominus ipse explicauit *vers. 21. ὃ ἔχων τοὺς ἐντολάς μου καὶ τηρῶν αὐτάς.* Iam igitur quomodo Christus in Apostolis manebat et habitabat? Et hoc Dominus docuit *vers. 7. Cap. XV. τὰ εἰρηματὰ μου ἐν ὑμῖν μένει,* doctrina mea in vobis manet. Vnde Apostolus *Gal. II, 20.* de se: *Ἐγὼ, inquit, ἐν ἐμοὶ Χριστὸς, Christus viuit in me;* ita enim Latini quoque dicunt de eo, quem sequimur et imitamur et impense amamus; et vt Paulus ipse in proxime sequentibus explicauit: *ἐν πίσει ζῶ τῆ τοῦ ἰδοῦ τοῦ Θεοῦ, vitam consumo in religione Filii Dei,* scilicet partim quia eam profitebatur et vnice sequebatur, non amplius religionem Iudaicam, quod dixit *Ἐγὼ κατὰ σάρκα,* partim vero, quia eam aliis tradebat; alio autem loco, nimirum *2 Cor. XII, 9.* dixit: *vis Christi me inhabitat.* Verum etiam in piis quibusuis dicitur Christus habitare; *Eph. III, 17.* sed statim additur explicatio: *διὰ τῆς πίσεως, et: ἐν ἀγάπῃ ἐξελιζόμενοι καὶ τεθεμελιωμένοι, vt omni virtutis studio constanter dediti sitis.* Denique in ipsa ecclesia, siue inter Christianos Christus esse et habitare dicitur, *Col. II, 27. Gal. IV, 19. Χριστὸς ἐν ὑμῖν,* plane vt supra vidimus de Spiritu sancto dicit; id tamen ex diferta interpretatione Apostoli denotat hoc: *doctrina Christi est inter vos, traditur in vestra urbe et in vestro coetu.* Vnde Christiani dicuntur *οἱ ἐν χριστῷ, Rom. VIII, 1.* porro *μέτοχοι τοῦ χριστοῦ γεγονότες, Hebr. III, 14.* denique *κοινωνοὶ θείας φύσεως, 2 Petr. I, 4.* similes diuinæ naturæ; sed diuinæ naturæ similes fieri possumus vel sensibus, vt h. l. vel beatitudine; nisi velis locum reddere sic: *assumimus diuinam indolem, ingenium diuinum;* quem significatum vocabulum *φύσεως* habet apud scriptores graecos.

Iam igitur, vt summam ineamus eorum, quae disputauimus, *inhabitatio Spiritus sancti* non est nomen partis, sed uniuersitatis, denotatque vel *ἐνέγγειον* sanctissimi Spiritus vimque eius salutarem

ad

ad illuminandos, emendandos, tranquillandos homines, vel eius effecta, nimirum cognitionem, fidem, vniuersamque virtutem et animi tranquillitatem; et formula: *Spiritus sanctus inhabitat pios*, sensum habet hunc: vis Spiritus sancti in animis eorum se exserit, fides et sanctitas, a Spiritu sancto effecta, pectora eorum occupat, vitamque regit sic, vt sint veluti *officina Spiritus sancti*, in qua opus suum habet.

Vos vero, CIVES CARISSIMI, agite, vt et VESTRUM animum, vitamque VESTRAM occupet Spiritus sanctus, occupatosque teneat perpetuo, vimque suam in VOBIS explicet efficacissime, ad scientiam religionis, fidem, sanctitatem, animique tranquillitatem excitandam, alendam, augendam, firmandam, vtque sentiat immensam diuinæ benignitatis magnitudinem, eiusque sensu et incitamenti efficaciter moti, Deum, in primisque sanctum Spiritum, tantorum beneficiorum auctorem, laudibus celebretis et colatis toto animo et tota vita. Cuius rei causa conuenite frequentes cum ad sacra publica, tum ad solennitatem, Academiae inter ea in aede vrbis propriam, hosque dies festos salubriter agite et bene valete! P. P. in Vniuersitate literarum Witteberg. Festo Pentecostes A. C. cIoIocclxxxiv.

WITTEBERGAE

LITERIS CAR. CHRIST. DÜRRII.

Wittenberg, Diss., Erg. bd. 6, 1783/91

ULB Halle


003 922 553



3

5b.





97 (93)

1928 K 944

16, 11 19415

AD

SOLEMNIA PENTECOSTALIA

A. C. MDCCCXXXIV

IN ACADEMIA WITTEBERGENSI

RELIGIOSE CONCELEBRANDA

NOMINE PUBLICO

INVITAT

ORDINIS THEOLOGORVM DECANVS

ET SENIOR

D. CAROLVS CHRISTIANVS TITTMANNVS.

DE INHABITATIONE SPIRITVS SANCTI.

1789

